



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

Cap. IV. Ratio depingendi Hemisphaerij Geographici oculo constituto in  
intersectione Coluri & Aequatoris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

## CAPVT IV.

*Ratio depingendi Hemisphærij Geographici oculo constituto  
in interfectione Coluri & Æquatoris.*

**D**VCATVR Circulus A. B. C. D. & decussentur duæ lineæ A. B. & C. D. tum quadrantes singuli diuidantur in partes decem, vel certè sex vt quintus & decimus quisque notetur tam *Parallelus* quàm *Meridianus*. Iam ex puncto D. ad partes quadrantis C. B. ducantur occultæ lineæ quæ projectionem exhibeant E. F. G. H. I. Illæ secabunt lineam A. B. in L. M. N. O. iuxta debitam projectionem ex principiis *Opticæ*; quæ projectio postea transferetur in quadrantes B. D. D. A. & A. C. Porrò in lineâ D. C. quæ *Æquatorem* exhibet ad puncta notata ducètur *Meridiani* duodecim in vtroque Polo coeuntes, *Paralleli* verò seu gradus latitudinis in lineâ B. C. eiusque partibus, & præterea gradibus vtriusque quadrantis vicini, exempli causa K. E.

Iam verò *Tropici*, & *Circuli polares* eadem inuenientur viâ. Nam à puncto B. versus C. notantur 23. gradus cum dimidio in  $\epsilon$ . & totidem à puncto C. versus B. in  $\zeta$ . quod etiam præstabitur in alio semicirculo Boreali in  $\eta$ .  $\beta$ . & K. P. ductis eodem modo Circulis quo descripti sunt latitudinis *Paralleli*.

*Eccliptica* autem pingenda videtur ex principiis *Opticæ* per lineam  $\gamma$ .  $\zeta$ . quæ in sex distribuatur signa hoc modo. Semicirculum  $\gamma$ .  $\zeta$ . in sex partes diuide, & ad singulas diuisiones Q. R. S. T. V. duc lineas à puncto P. Illæ notabunt signa in *Ecclipticâ* Q. H. R.  $\gamma$ : S.  $\nu$ : T.  $\chi$ : V.  $\omega$ . & in extremâ *Ecclipticâ* quæ per Colurum *Solstitiorum* secatur  $\vartheta$ . &  $\rho$ . appinges.

Illius porrò figuræ creditur auctor *Gemma Frisius*; tamen ab eruditissimis meliùs tribuitur *Arzaëli* cuidam *Arabi*. Antea improbatur, sed cum eâ vsus esset *Gerardus Mercator* in suo *Atlante*, in precio esse cœpit, & pauca nunc reperiuntur *Tabulæ orbem* totum representantes, quæ illam non sequantur.

